SERENISSIMO ODOARDO FARNESIO

In ſacroſanctum Senatum Catd. allecto

IANI PELVSII CROTONIATAE GRATVLATIO.



PARMAE. Apud Eraſmum Viothum.
Permiſſu Superiorum. 1591.

4

CAMILLO CAIETANO
Viro Illuſtriſs. & Patriarchæ Alexandrino digniſs.

Ianus Peluſius Crotoniata ſalutem, & nominis immortalitatem D.

NOSTRAS odas ea propter Præſul eruditiſſime tibi dicare volui: quia vt præter alios interitu ALEXANDRI FARNESII S.R.E. Cardinalis ampliſs. doluiſti: ita præter alios ODOARDO eius pronepoti in Sacroſanctum Senatum Cardi. allecto honores gratularis. Vt tunc igitur dolens a dolente epicedium accepiſti: ſic nunc gaudens a gaudente gratulationem accipe: & Peluſium GAIETANORVM Procerum ſtudioſiſs. tuo patrocinio tuere. Vale Parmæ. Idibus Martijs. M, D. LXXXXI.

AD GREGORIVM XIIII.

Pontificem Opt. Max.

*S*FONDRATE *Princeps maxime Principũ,*
Qui sceptra Christi, res geris, & vicem,
Et claudis vt fores auerni,
Limina sic reseras olympi,
Te Roma dignis tollit honoribus,
Agitq; grates innumerabiles,
In ordinem patrum sacrorum
Scribere quod libuit DVARTEN.
Vides vt omnis iubilet Ausonis?
Dulciq; gentes lætitia fremant?
Noctis repellant & tenebras
Dispositis facibus per ædes?
Arx celsa bombis personat æneis,
Queis non Tonantis dira tonitrua,
Sed exprimit nouos honores
Magnanimi iuuenis DVARTAE.
Hinc inter vrbeis læta Placentia,
Crines odoris floribus implicat,
Aurasq; cantibus lacessens,
Purpureum Domini galerum
Ad astra tollit carmine Delio:
Et Parma prodit pectoris intima,
Non igne tantum, sed loquela,
Per fora, per plateas, per aras.
Non tanta quondam tristitia, & dolor
Inuasit Vrbem funere patrui,

Nunc

Nunc gaudij quantum triumphum
Fert Tyrium pronepotis ostrum.
Accepta cælo est ante alias domus
FARNESIORVM, Dis pietas, pudor,
Fidesq; cordi: nam repulsa
Inuidia, assequitur quod optat.
Multos amicos officijs parit
Sibi, grauatos pauperie leuat,
Et porrigit manus benignas,
Quos videt auxilij indigentes:
Qui nunc ephœbum suspiciunt, velut
Mœsti Laconum sidera nauitæ,
In Nerei campo tumente
Quum Boreas agitat carinam.
Erit Senatus purpurei decus,
Et Vaticanæ gloria curiæ,
Nam patruæ virtutis hæres,
De tenero meditatur vngue
Rectoris orbis Pauli abaui pios
Mores, tot annos quo solium Petri
Tenente, sæuus Mars Gelonos
Exul ab Oenotria petiuit.
Ceresq; messes reddidit vberes:
Liquore vites nectaris imbuit
Pater Lyæus: & Minerua
Tot profugas reuocauit artes.
Doctore Iano Mæonidæ tubam
Inflauit, hausit Pindaricum melos,
Lauroq; deuinctus capillos,
Circuit Aonios recessus.
Nunc fultus acri vi sapientiæ,
Iussis sophorum pectora roborat,
Teritq; callem, qui piorum
Fert animas superas ad arces.

Non a superbo degenerat patre,
Qui Marte clarus, Pallade clarior,
Belgas feroces, & rebelles
Auspiciis domuit Philippi:
Est vnde dictus Belgicus, & Duces
Quot Graia tellus, quot Latium tulit,
Sic vincit omneis laude, prolem
Quisq; sibi vt similem peroptet.
In regna nuper Celtidos aduolans,
Ducens Iberum robur, & Italum,
Ab imminente barbarorum
Liberat exitio, & periclis
Tuos colonos docta Lutetia:
Namq; ense caeso rege Valesio,
Rex Vasconum profanus vrbi
Funus, & imperio parabat.
Quò tendis audax Calliope? lyra
Tun' sic minuta, promere praelia
Tentas ALEXANDRI, *nouenae*
Quae nequeunt celebrare Musae?
Mecum DVARTEN *dic modo tibia,*
Namq; est senectae praesidium meae,
Post gesta patris, & trophaea
In patria recines Milonis:
Illumq; dices cornua Teutonum
Fregisse: paruis agmina copiis
Dum magna fundit in regressu,
Quem facit ad socios relictos.
Cuius DVARTES *filius imminens*
Factis auitis, & patruae aemulus
Laudis, relinquet hos, & illos,
In stadio hoc celebri ad brabium.
Amplis Deorum dotibus enitens,
Aequat verendos consilio senes:

Leges

Leges tuetur: ſubditisq;
Imperio dñinatur æquo.
Et quando fulget clarior in dies,
(Ni falſa vates Teſtorides canit)
Aſcendet ad gradum ſupremum,
Implicitus triplici corona.

DE ODOARDO FARNESIO S. R. E. Card. ampliſs.

IAM *Sol exoriens diem*
Optatam Heſperijs gentibus attulit,
Qua Parmæ, & Trebiæ Ducis
Natus, puniceo murice prænitet,
Quo dudum pater induit
Illum GREGORIVS *Maximus Optimus*
Chriſti numine Pontifex.
Quando hoc nemo ſuis eſt popularibus,
Nemo charior exteris,
Et ſanctis monitis pectora fulciens,
Doctis vocibus imbuit
Aures: non patiar tam iuuenem pium
Lethes nubibus obrui:
Indictum ore alio, pectine concinam,
Vel quem Flaccus ad Aufidum,
Vel centumgemino cycnus in oppido
Dircæus modulans, nouem
Muſarum auxilio tam ſibi, quam ſuis,
Aeternum peperit decus.
Pallentes violas munera amantium,
Dicant Aeolia lyra,
Queis inuiſa Iouis filia veritas.

Me FARNESIA *lilia*
Fert desiderium sidera ad ardua
Iustis tollere laudibus.
Leni Tybri pater qui fluis agmine,
Cum Nymphis choreas age,
Et da lætitiæ signa sub vndulis:
Et tu quæ fidei basis
Es sancta, & populis omnibus imperas,
Albis tempora lilijs
Orbis Roma caput (nam decet) implica,
Et seu Cynthius occidit,
Seu terras radijs, & mare purpurat,
Cinge altaria ramulis,
Et dans grata piæ dona puerperæ,
Tam facti egregij memor,
Grateis redde Deo, qui regit omnia.
Hic post secula Nestoris,
Motus supplicijs, & precibus, sinet
Vt FARNESIVS *inclytus*
Præsul, sacra Petri sceptra tenens manu,
Huc rursus reuocet tuis.
Saturni veteris secla Quiritibus.

AD IO. ANTONIVM Pisanum huius ætatis medicorum Principem.

RECentiorum prime medentium,
Non quot creauit magna Neapolis,
Aut Roma solum, sed quot vsquam
Hesperiæ genuere matres,
Lætare mecum sensibus intimis,
Noster DVARTES *numine Cælitum,*
Allectus

Allectus in sacrum Senatum,
Tegmine purpureo refulget;
PISANE *dignis præsidium viris:*
Qui me rapacis Mortis ab vnguibus,
Viq; eripis probante Phœbo,
Qui Lyciam tenet, atq; Delon.
Quem nec Machaon, nec Podalirius
Quiuere morbum tollere pharmacis,
Succo ipse pellis vsq; ad Orci
Ostia, Tanariasq; fauces:
Quam pene Ianus viderat Aeacum
Dijudicantem, mœstaq; Tartara,
Domosq; selectis paratas
Gentibus, Elysiosq; campos?
Vetante Parca, me reuocas tuis
Hinc me medelis dulcis amicule,
Et brachium repente donas
Posse meum requie fruisci:
Non tu venenis vsus Ibericis,
Aut impudicæ Colchidos artibus,
Queis sustulit cum patre natam,
Vlta nouos thalamos mariti:
Mire salubri sed medicamine,
Quod de Galeni fontibus hauseras,
Quo mortuos vitæ redonas,
Restituis superis & auris.
Non æra poscis digna laboribus
Tantis, sed alma quod Charites stupent,
Gratis remittis me DVARTAE
Incolumem, & populo Quirini.
Hæc nota cunctis ciuibus, exteris
Ignota nullis, non ego polluo
Mendace lingua, vera fari
Qui didici teneris ab annis.

Hæc

Hæc facta docti Mæonidæ tuba
Dicenda, vatis vel Calabri lyra,
Aeternitati consecrabo,
Vt potero auxiliante Musa.
Viuit superstes gloria Principum,
Quos Musa plectris dulce sonantibus
Decantat: illi nec peribunt,
Carmine quos celebrant pöetæ.
Virtus Catonis floret adhuc magis,
Nec atra nubes Cæsaris opprimit
Præclara facta: damnat ætas
At Pelopem, Pelopisq; patrem:
Ausiq; regnum frangere Cælitum
Cœptis gigantes tam temerarijs,
Tenentur Orco: sic Camœnis
Est placitum, Nemesiq; vatum.
Sed quando tanti purpura Principis
Exciuit omneis Italiæ Duces,
Qui Galliam petunt togatam,
Munera lætitiæ gerentes:
Et bellicosis iuncta Quiritibus
Fert dona templis Roma: nec amplius
Inundat agros, sed quieta
It Tyberis generosius vnda:
Pisane mecum tu quoq; laudibus
Heroa magnum fer super æthera,
Nec defatigatus labora,
Sidus eat geminos per axes:
Est Lusitanis regibus editus,
Qui post subactam nauib. Indiam:
Acres, & Indis concolores
In Libya domuere Mauros:
Idemq; reges Austriadas refert,
Vltra columnas Herculeas cita.

Qui

Qui classe vecti, nomen astris,
Imperium Oceano perӕquant.
Si namq; grates non potero tibi
Referre, digni vel patre liberi
Tibi rependent: vel poëta
Nomine, Pierides habebunt.

AD SODALES.

EIA sodales promite Cӕcubum,
Quod in remotis accubat horreis,
Et Persico mensas paratu
Sternite per medias plateas:
Nunc est bibendum, carmina nunc lyrӕ
Aptanda neruis, nunc pede strenuo
Pulsanda tellus, nunc legendӕ
Floribus ex varijs coronӕ:
Sed Christianis conuenit vt viris,
Grates agamus Max. & Opt.
Christo Mariӕ, qui ter amplo
Imperio moderatur orbem,
Et vota lӕtos ducit ad exitus.
Nostri DVARTES *gloria seculi,*
Et Romulӕ tutela gentis,
Sidonio decoratur ostro.
Hӕc digna patris dona laboribus,
Qui Marte Flandros vicit, & hӕresim
De Flandria fugauit omnem,
Quam malus intulerat Lutherus.
Orbis redemptor Christus ab ӕthere
Qui cuncta cernit lumine Lynceo,
Adusq; portum det carinam
Perplacidus Zephyrus sequatur:

Et

Et noster Heros murice fulgidus,
Maiora votis impleat omnibus
In rebus, & stridente metam
Oppositam feriat sagitta:
Atq; in iuuentæ flore RANVTIVS
Vxore ducta, multiplicet genus,
Finesq; regni a Solis ortu
Proferat Hesperias ad oras.
Signum Quirites lætitiæ date,
Florere rursus lilia cernimus,
Et naribus gratos odores
Spargere conspicuas per vrbes,
Quæ non tenellæ Näiadum manus
Carpant, vt ornent aureolas comas,
Aut inserant bellis papillis,
Aut epulas decorent opimas:
Sed quæ in seuero concilio patrum,
Atq; ante Reges, & celebres Duces,
Vigore clara, et aucta odore,
Luciferi vt radij coruscent.
FARNESIORVM *Cælicolæ pium*
Genus secundo numine promouent
In maius, & iuuante dextra,
Omnibus eripiunt periclis.
Viri potentes obstiterint licet,
Ne purpuratis patribus insitus
Heros DVARTES, *se, suosq;*
Romulidas super astra ferret,
Volente Summo Pontifice attamen,
Ascriptus inter purpureum gregem,
Virtute sic ornat senatum,
Vt genere, egregiaq; fama.
Abite tristes hinc procul inuidi,
Abite, vestrum contudit impetum,

Et

Et tot renascentes chelydros
Absq; tuis Iolae flammis
Elisit: angues fortis vt Hercules.
Nutritus alma Palladis in sinu,
Quiescit Astraea sub antro,
Mirificos meditans paratus.
Olim senatus purpurei decus
Honore fulgens patruus vt fuit,
Sic pulcher hic erit iuuencus,
Qui patruum sequitur per artes.
Et hunc, & illum, per liquidum aethera
Ianus quadrigis Pieridum feram,
Vt spero, Phoebus, & Minerua
Viribus ingenij fauebunt.
Mi hinc namq; surget gloria non leuis,
Omneis per oras cum Dominis simul
Penna timente Sole solui,
Si famulus celebris volabo.
Haec de tot amplis muneribus tuis
Sat Cardinalis: Musa suo lyram
Suspende clauo: nam Crotone
Facta canam Procerum DVARTAE.

AD MVSAM.

EXVRGE *nostri debilis ingeni*
Camoena, pulsa dulcisonam lyram,
Hymnumq; canta, Solis ortus
Quem ferat Hesperias ad vrbes.
Non absq; Diuûm numine Pontifex
SFONDRATVS, *orbis sceptra tenet manu,*
Curaq; mira, & diligenti
Omnia Christiadum gubernat:

De

De nocte custos peruigil, & die,
Ouile Christi seruat, & amouet
Vrsos, luposq; , qui tenellis
Insidias meditantur agnis.
Extendit alto brachia, largiter
Aris ministrat thura calentibus,
Deumq; votis præpotentem
Conciliat populo fideli:
Et pestilentem possit vt hæresim
Cunctis ab oris pellere Galliæ,
Nostræ salutis tutor, addit
Martigenas iuuenes Iberis.
Qui ducis o rex robora Vasconum,
Muni ære pectus: tempora casside:
Dextra macharam sume: firma
Quadrupedum, & bipedum cohortes:
Parmensis Heros Marte ferocior,
Tot ductor in te concitat agmina,
Festinat in te, rursus in te
Arma mouet metuenda Gallis.
Dignum nefandis supplicium dabis
Ausis, fereris casus ad Inferos:
Vt hic ab Henrico quod optas,
Imperij diadema sumas.
Iam nunc minaci murmure perstrepunt
Dextra, & sinistra cum lituis tubæ;
Iam pugna feruet: imbris instar.
Tela cadunt, feriuntq; gentes.
Videre pubem iam videor Remi
Non indecoro sanguine sordidam,
Et Vasconum regem fugatis
Agminibus, dare terga Ibero.
Multi relicta non bene parmula,
Quærunt salutem per iuga deuia,

Nulliq;

Nulliq; iam parem triumphum
Hostibus indecores relinquunt.
Iam nullus audet se Trebiæ Duci
Offerre: diuæ namq; ope Palladis
Deuincit hostes, atq; gaudet
Cæde virûm cumulare cædes,
Telis adurgens Teutonicos greges,
In campo aperto ceu pecudes lupus,
Prædator aut per alta cæli
Accipiter timidas columbas.
Motus benignus supplicijs Deus
Pastoris almi GREGORII, *sinit*
In prælio Parmensis Heros
Ense nouos perimat gigantes:
Qui Marte fisi, Pontificum preces,
Minasq; temnunt, bella parant sacris,
Et templa diruunt, & aras,
Eumenidum comitante turba.
Tibi Philippum Numina sospitent,
Et te Philippo Numina sospitent,
Qui Nestori præstas loquela,
Viribus, atq; animis Achilli
Inuicte Princeps, dulce decus meum,
Aetas grauescens hac mea seruiet
Tuo DVARTAE, *donec ægros*
Spiritus hos animabit artus.
Cur Musa laudes tendis ad exteras?
Rectumq; cursum deseris? inclytum
Non Principem quæso, sed ipsum
GREGORIVM *fidibus celebra:*
Qui sceptra Petri, qui Latium tenet,
Orbemq; totum, maximus omnium
Princeps, paterq;: quem per omnes
Christicolæ veneramur oras.

Huic

Huic ipse grateis innumeras ago,
Tolloq; cælo carminibus nouis,
Et patre Christo comprobante,
Opto Ducis Pylij senectam.
Mox quippe alumnum sponte sua meum
Patrum sacrorum scripsit in ordinem,
Quo Roma facto vt pulsat alto
Vertice sidereum cacumen:
Sic inuidentes pectore ab intimo
Non absq; fletu dant gemitus graues,
Hostemq; suspirant potiri
Munere, quod meruere pauci.
Ne multa pandam, figo meis modum
Hymnis, sagittis & ferio scopum,
Ac Massicum promens diota,
Accipio dapibus sodales:
Est nullus Heros, nemo vel infima
De plebe, terris natus in Italis,
Quin gratuletur hos honores
Egregio iuueni DVARTAE.
Sat Musa dixti: pone lyram, prius
Nostrum corollis sed caput implica,
Hæc facta vester vt sacerdos
Virginibus, puerisq; cantem.

In pagina 7.

Pro dminatur corrige, dominatur

LAVS DEO.